

§. III. Pharisaeorum sectae multas quoque mulieres fuisse addictas, negari non potest. Ita enim in Sotach c. 3. halac. 4. legitur: *Religiosus stultus, improbus, astutus, & אשה פרושה femina Pharisaea perdunt mundum.* Quid per feminam Pharisaeam intelligi debeat, docent Gemaristae Babylonici. Quod tamen mulieribus non aequè, ac viris, fuerit licitum, codicem interpretari, vel vnicus locus id ex Babyl. Sotah euincere potest, vbi verba ita sonant: *Ne docta sit mulier, nisi quoad colum.* Et paullo post: *In ignem illi eant potius, quam vt tradantur verba legis feminis.* Conf. SVRENHVS. op. Mischnic. P. III. p. 219. Sed enim, nec omnibus promiscue viris id facere, integrum fuit. In ecclesia vero N. T. inde ab vltimis temporibus, per omnia saecula, discrimen hoc fuisse obseruatum, historiae loquuntur.

VII. *Externa sacra Iudaeorum, & ritus receptos, si abusus excipias, Christus non improbauit.*

§. I. **E**x hoc oraculo discimus, Iudaeos a) *habuisse synagogas,* b) *in eas saepe conuenisse,* c) *conuenisse ad audiendum,* d) *certos habuisse doctores, & interpretes,* e) *doctores habuisse suas cathedras,* f) *doctores in cathedris docuisse,* g) *docuisse sedendo.* Haec omnia, & alia, ad externum Dei cultum [per]tinentia, Christus eo ipso, dum Pharisaeos, in cathedra Moſis sedentes, audire populo iniunxit, tacite approbauit. Prima duo momenta, stylo scripturae N. T. saepe voce συναγωγῆς designantur, ita, vt ea nunc locum, nunc confluxum populi in loco significet, quod vel ex his duobus locis Luc. VII, 5. Act. XV, 21. satis luculenter patet. In priore enim locum conuentus, in posteriore conuentum ipsum, vtut loco non excluso, proxime tamen, quamuis & id Maldonatus, ob suae caussae patrociniū, neget, significat. Vnde apposite Syrus prius per תּוֹבֵלֵי אֲבֵרָהִים *domum congregationis,* posteriore per תּוֹבֵלֵי אֲבֵרָהִים *vertit.* In his quia ordinarie & legebatur, & exponebatur